



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. X. De iis qui sibipsis inferunt injuriam.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

At ii tamen voluntariam injuriam patiuntur, qui propter amorem cupiditatemque opes suas dilapidant, vel vino se obruunt, quod sibi norunt obesse?

Minimé. Inferunt quidem sibi ipsis damnum nullam autem injuriam patiuntur. Unde nec Glaucus libr. 6. Iliados accepit injuriam, cum Diomedis aurea arma pro ferreis daret; quia in ipsius situm fuit potestate.

CAP. X.

De iis qui sibi ipsis inferunt injuriam.

Potestne quis sibi ipsi injuriam facere?

Per se quidem & proprié nemo dicitur, sed improprié.

Cur nemo dicitur proprié sibi inferre injuriam?

Quia duo contraria non possunt simul in eodem subjecto consistere. Qui vero inferre injuriam, peccat in excessu: Non potest igitur simul in defectu delinquere

Quomodo autem improprié?

Eó quod in homine ratio & concupiscentia, sint veluti personæ diversæ, quæ debent mutua officia, mutuamq; defensionem. Cum igitur altera debitum non præstiterit, alteram injuria afficit.

Quid de iis sentiendum qui seipsum interficiunt?

Faciunt illi injuriam, non tamen sibi ipsis, sed patriæ, quæ cive uno minuitur. Quare a republica etiam pœna est constituta in eos, et

vel tamquam cadaver á carnifice comburan-
tur, vel inhumati relinquuntur.

CAP. XI.

De æquitate.

*Coinciditne æquitas cum jure vel justitia par-
ticulari?*

Non omninó. Æquum enim & bonum
plerumque laudamus; contra veró vitupera-
mus, si summo jure severius lata sit sententia.

Quid igitur est summum jus?

Quando leges sine omni mitigatione & ex-
ceptione severe retinentur. Ut si judex furem
pauperem egestate impulsum, alioquin pro-
bum, supplicio afficiat.

Quid veró æquitas?

Æquitas est correctio legis, qua parte defi-
cit in universali. Est igitur lex veluti Regula
generalis. Æquitas veró tamquam exceptio
sive appendix.

LIBRI VI. ETHICO-
RUM REPETITIO.

Argumentum hujus libri.

Haftenus de virtutibus moralibus tum simpli-
cibus, tum que illis conjuncta est justitia. Sequitur
in libro sexto deinceps de virtutibus intellectivis.
Ubi quod Aristoteles de quibusdam subtilius ex
aliis philosophatus sit, quã veré disseruerit, omnia
acutus examinantur.